



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

7. De natura & essentia specierum sensibilibum materialium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

determinante, vel quia est ipsi intime unitum suum obiectum, ergo requiritur species præter hæc obiecta.

Confirmatur: quia quamvis qualitas sensibilis inhaeret organo sensitivo, adhuc non sufficeret, quia omnis actus cognitionis est quodammodo à materia eleuatus: sed obiectum per se est maxime materiale: ergo per se non sufficit.

Respondetur negando minorem, neque enim debet magis coniungi quam per applicationem contiguam, nisi nata sit sentire formam in se subiectatam.

Ad confirmationem respondetur negando antecedens, si potest sentire qualitatem sibi inhaerentem: & ad probationem dico, quod actus cognitionis non sit ita à materia eleuatus, ut obiectum sensibile non possit ipsam saltem partialiter causare: nam quacumque ratione potest causari à specie impressa causata ab obiecto, posset ab ipsomet obiecto causari.

CONCLUSIO IV.

52. Potentia interna requiritur in specie Hæc est communissima omnium Doctorum, & probatur quia possunt sentire quando ipsum obiectum non existit, & quando non existit ullus actus potentia externæ: sed non possunt sentire absque specie: ergo requirunt species. Probatur antecedens experientia, qua constat quod sentiamus dormientes. Probatur consequentia, quia ex seipsis non habent sentire, quandoquidem sunt indifferentes ad omnes sensationes, sed in absentia obiectorum, & actuum sensuum exteriorum non est aliud, quod determinet ipsas præter species.

Dices hinc sequi quod non requirantur species semper, sed non haberi quia aliquando requirantur. *Contra primo* quia hoc sufficit ad intentum Conclusionis. *Contra secundo*: quia eodem modo sentiant tum, quo ante, nisi perfectius sentiant tum: ergo si tum producant sensationes suas mediantibus speciebus, semper debet dici, quod producant illas iis mediantibus.

QVÆSTIO VII.

De natura, & essentia specierum sensibilium materialium.

HÆC quæstio mouetur non solum, ut sciatur natura specierum, quas dari iam probatum est: sed etiam ut soluantur obiectiones, quas specierum aduersarij mouent contra sententiam eas asserentem ex eo, quod non possit ostendi qualis sint natura.

CONCLUSIO I.

53. Species impressa non sunt eiusdem naturæ cum obiecto. Hæc est communissima quoad rem ipsam, & licet *Complutenfes disp. 18. n. 40.* asserant eas esse eiusdem rationis ex parte formæ cum obiectis, addunt tamen id non esse intelligendum absolute, & simpliciter, seu sub modo essendi naturalis: sed quodammodo, seu in esse intentionali, & representatiue: unde in re non sunt contra Conclusionem, nec consequenter contra auctores, quos impugnant; nullus enim auctor admittens species, negat illas esse eiusdem rationis representatiue & intentionali cum suis obiectis, quantum ad hoc quod possent concurrere ac determinare potentiam ad cognoscendum obiectum non minus quam si ipsummet obiectum immediate concurreret cum potentia.

Probatur Conclusio, quia si essent eiusdem naturæ cum obiectis, non compaterentur simul species albedinis, & nigredinis, quemadmodum albedo, & nigredo non compatiuntur: sed hoc est falsum.

Probatur secundo, quia sequeretur quod aer, in quo sunt species albedinis, esset albus, quod est absurdum.

Probatur tertio, quia species albedinis est qualitas intentionalis, albedo vero ipsa non est talis qualitas, sed physica & realis.

Obiicies: sunt similes formaliter obiectis: ergo sunt eiusdem naturæ cum ipsis: similitudo enim fundatur in identitate.

Respondetur distinguendo antecedens: intentionali, & representatiue, transeat: realiter & physice, nego ante-

cedens, & similiter distinguo consequens: sunt eiusdem naturæ representatiue & intentionali, transeat, physice & realiter, nego consequentiam.

CONCLUSIO II.

54. Species non facit vnum per se cum potentia, nec potentia fit per identitatem species impressa aut obiectum representatiue per speciem. Hæc etiam est communis contra *Ruinum tract. de speciebus q. 8. Complutenfes disp. 18. n. 51.* qui plures pro sua sententia *Thomistas* citant.

Probatur prima pars: quia est qualitas de prædicamento qualitatis, & potentia est de prædicamento substantiæ: sed accidens & substantia non faciunt vnum per se. Antecedens quoad primam partem conceditur ab omnibus; quoad secundam vero supponendum ex dictis supra *disp. præcedenti*, ubi probatum est potentias animæ esse identificatas ipsi animæ.

Probatur secundo independenter ab illa controuersia de identificatione potentiæ cum suis subiectis: species inhaeret potentia, & educitur ex ipsius potentia non minus, quam quodcumque aliud accidens inhaeret suo subiecto, & educitur ex ipsius potentia: sed accidens inhaerens alteri accidenti non facit vnum per se cum ipso: ergo species non facit vnum per se cum potentia.

Confirmatur: quia albedo non facit vnum per se cum quantitate, quamvis inhaereat ipsi: ergo neque species cum potentia. Probatur consequentia: quia eadem prorsus est ratio, nec impedit paritatem, quod species sit quid intentionale & representatiuum, & supplens locum obiecti: hoc enim totum nihil facit ad propositum.

55. Dices: species, quatenus est accidens: non facit vnum per se cum potentia, sed quatenus representatiuum.

Contra primo: quia quod realiter est accidens non potest vlla ratione facere vnum per se cum substantia, aut cum subiecto cui inhaeret, alias posset quis dicere quod albedo ut accidens, non faceret vnum per se cum subiecto, sed ut ens, & ut disgregatum visus, quod est absurdum.

Contra secundo, quia habet esse representatiuum à differentia per quam contrahitur accidens ut sic ad esse talis accidentis: sed illa differentia est accidentalis: ergo neque etiam ut representatiuum potest facere vnum per se cum potentia, si non potest facere tale vnum cum ipsa ut accidens.

Confirmatur quia non solum accidens ut sic nequit facere vnum per se cum subiecto, sed nec vllum accidens tale quia tale, potest facere tale vnum cum illo; sed species ut representatiua est accidens tale, hoc est talis speciei distinctæ ab aliis accidentibus, quæ non sunt representatiua: ergo ut sic nequit facere vnum per se cum potentia.

Contra tertio, quia non potest facere vnum per se cum potentia secundum vllam rationem, secundum quam non coniungitur physice cum potentia nisi per inhaerentiam; & ut sic coniungitur, non potest facere vnum per se cum illa: ergo non potest secundum vllam rationem facere vnum per se cum ipsa.

56. Probatur secunda pars: quia potentia & species realiter distinguuntur: ergo potentia non fit vnum per identitatem cum ipsis secundum vllam rationem.

Confirmatur: quia secundum omnem rationem species est accidens, & inhaerens potentia: ergo secundum nullam rationem fit vnum per identitatem cum potentia, quatenus vnum per identitatem opponitur vni per inhaerentiam.

Confirmatur secundo, quia prorsus est intelligibile quomodo fiant vnum per identitatem, & præterea potest potentia elicere sensationem absque tali unitate: ergo non est asserenda.

57. Obiicies pro Complutenfibus: in specie intelligibili (& idem cum proportionem dicendum de sensibili) per accidens est, & de materiali, si consideretur sub formalissima ratione speciei, quod sit accidens vel substantia in esse entitativo, & naturali, vel quod inhaereat, aut informet, aut quod uniat intellectui per modum subiecti substantialiter ipsum sustentantis: ergo si sumatur secundum propriissimam rationem speciei, debet uniri cum ipso per identitatem.

Potentia
interna
requiritur
species

Species
impressa
non sunt
eiusdem
naturæ
cum
obiecto.

Species
non facit
vnum per
se cum
potentia.

Potentia
non fit
vnum per
identitatem
cum
speciebus.

identitarem in esse intelligibili. Probatur antecedens: quia species intelligibilis aliquando est accidens, ut in nobis, aliquando est substantia, ut in Deo, & in Angelis, ut cognoscunt suam propriam essentiam: nec perdit speciem suam atomam aut propriam rationem per hoc quod sit substantia vel accidens, unde speciem qua Michael, verbi gratia, intelligit Gabrielem, quamvis sit accidens, est eiusdem rationis in esse speciei cum specie qua Gabriel intelligit seipsum, quamvis hæc sit substantia.

58. *Respondeo primo*, negando antecedens, tam bene enim est essenziale speciei intelligibili esse accidens, quàm color. Et ad probationem dico essentiam Angeli non habere se per modum speciei intelligibilis, ut determinat intellectum Angelicum ad cognitionem sui, sed per modum obiecti immediate determinantis, & idem est de essentia divina respectu intellectus divini, quidquid dicant Thomistæ, gratissimè, & sine ullo prorsus fundamento fingent rationem speciei intelligibilis, ubi non est necessaria.

Respondeo secundo admittendo gratis, quod aliquando species intelligibilis sit substantia, aliquando accidens hoc inquam gratis dato, *Respondeo*, distinguendo antecedens: per accidens est ad rationem speciei intelligibilis ut sic, transcat ad rationem speciei intelligibilis talis, aut talis in particulari, nego antecedens, nec oppositum probatur in probatione antecedentis. Itaque quemadmodum licet aliqua sapientia sit substantialis, nempe divina, & aliqua accidentalis, nempe creata, & licet propter ea sapientia ut sic abstrahat ab utraque ratione, nec per se alterutram determinatè includat, tamen non est per accidens ad sapientiam creatam, quod sit accidens: ita licet aliqua species intelligibilis sit substantia, & aliqua accidens, ac propterea species intelligibilis ut sic abstrahat ab utraque ratione: tamen species intelligibilis obiecti realiter distincti, quæque nata est inhærere realiter, est essentialiter accidens, & non est per accidens illi, quod sit talis.

Respondeo tertio, admissio gratis antecedenti, negando consequentiam, quia licet species non deberet potentia uniri per modum accidentis, aut informare ipsam; tamen non deberet ipsi identificari, quia impossibilis est identificatio illa.

Dico: non potest determinare potentiam per modum speciei, nisi vel inhæreat, vel informet, vel identificetur; ergo si quatenus species non debeat inhærere, nec informare, debet identificari.

Respondeo negando antecedens, si enim ut species non informet nec inhæreat, determinabit ut species absque informatione, aut inhausione, aut identificatione, & si hoc sit impossibile, impossibile est quod ut species determinet non inhærendo, aut informando.

Iuxta hæc potest responderi ad discursum satis obsecutum, quo Ioannes à S. Thoma probat eandem sententiam Complutensem q. 6. art. 3.

CONCLUSIO III.

An species sit similitudo formalis obiecti.

59. Si species ipsa videatur, aut percipiatur per modum obiecti visionis, quæ appareat ipsum obiectum videri, est similitudo formalis intentionalis obiecti, sed si sic non videatur, aut percipiatur, non est nisi similitudo virtualis. Hæc conclusio hoc modo proposita est nullius in terminis, videtur tamen esse conformis principiis eorum autorum, qui absolute dicunt quod non sit similitudo formalis obiecti, ut sunt Tolet. Suar. Ruinus, Arriaga hic, & contra eos autores, qui absolute dicunt quod sit similitudo formalis obiecti, ut sunt Thomistæ communius quos citant, & sequuntur Complutenses disp. 18. n. 26.

Probat manifestè: quia, nisi possit sic videri, nulla prorsus est ratio, unde colligatur quod sit similitudo formalis obiecti, & frustra haberet talem rationem, nam ad rationem speciei impressæ sufficeret quod esset quid impressum ab obiecto potentia, & natum determinare ipsam ad visionem obiecti: hanc autem rationem habere posset absque eo quod esset similitudo formalis, per hoc solum quod esset similitudo virtualis, seu quid potens,

concurrere physice cum potentia loco obiecti ad visionem ipsius obiecti.

60. *Dico*: si sufficeret ad rationem speciei impressæ, quod esset quid determinatum potentia concurrendo physice cum ipsa ad visionem obiecti per modum causæ efficientis, Deus posset esse species impressa, quia sic posset determinare, sed hoc est absurdum.

Respondeo negando sequelam, quia non posset determinare per modum alicuius impressi ab obiecto, & recepti in potentia.

Dico secundo: Philosophus vocat species impressas, similitudines obiecti. *Respondeo*, nisi species videri possint, hoc intelligendum de similitudine virtuali, quatenus scilicet species est nata loco obiecti producere similitudinem expressam obiecti, hoc est, ipsam perceptionem, seu sensationem.

Ex his patet, quod quamvis species albedinis, v. g. concurrans cum potentia visiva ad visionem intuitivam albedinis, esset similitudo formalis obiecti, quia esset talis entitas, quæ videri posset per modum obiecti intentionaliter similis albedini, illa tamen ratio sit impertinens ad rationem speciei impressæ, & ad causandam illam visionem intuitivam albedinis, & in hoc credo, potissimum punctum difficultatis, ac controversiæ cum Thomistis consistere, quod hi putent speciem non posse concurrere cum potentia ad visionem obiecti, nisi esset similitudo formalis intentionalis ipsius, quod omnino falsum existimo.

Alij probant Conclusionem: quia species albedinis est distincta rationis ab albedine, ergo non potest esse similitudo formalis obiectiva ipsius.

Verum hæc probatio parum urget, quia facile distinguere potest consequens: non potest esse similitudo formalis physica & realis ipsius conceditur; intentionalis, negatur. Itaque quamvis species non posset esse similis physice, quia reuera non potest illas operationes physicas elicere, quas albedo; posset tamen esse similis intentionaliter, quia posset apparere similis sine physica illa similitudine.

61. *Obiectes ex Complutensibus*: species est per se primo instituta ad representandum: ergo primum quod competit ipsi est esse representativum sui obiecti, sed quod competit virtualiter alicui non est primum quod competit ipsi, sed esse formaliter tale: ergo species debet esse formaliter representativum & non virtualiter tantum. Probat minor: quia ex eo quod lux solis est virtualiter calida, primum quod convenit ipsi, non est esse virtualiter calidam, sed esse formaliter lucem.

Respondeo admissa prima consequentia, negando secundam consequentiam. Nam quamvis quod virtualiter competere alicui, non competat ipsi per se primo, sed quidquid competit per se primo debeat competere formaliter, tamen non inde sequitur, quin esse representativum virtualiter competat per se primo speciei; quia hoc ipsum potest competere ipsi formaliter, aliud enim est, quod esse representativum conveniens speciei sit esse representativum virtualiter; & aliud, quod illud esse representativum virtualiter, competat ipsi virtualiter: primum est verum, secundum falsum, & sic corrumpit vis objectionis, quæ solae consistebat in equivocacione. Quod si velint Complutenses, omne prædicatum, quod primo competit alicui rei, debere posse dici de ipsa cum additione istius particulae formaliter, & consequenter quandoquidem esse representativum competat per se primo speciei, posse dici de ipsa quod sit representativa formaliter, omnino decipiuntur; nam esse impenetrabile convenit per se primo quantitati, & tamen non potest dici, quod sit per se primo impenetrabilis formaliter, quia impenetrabilitas formalis est proprietas ipsius, sed solum potest dici de ipsa per se primo quod sit impenetrabilis fundamentaliter.

Respondeo secundo, distinguendo primum consequens: esse representativum, prout esse representativum dicit aptitudinem, quam habet ad determinandum potentiam ad sensationem, nego consequentiam: quia illa aptitudo

Impertinens est ad rationem speciei impressæ, quod sit similitudo formalis obiectiva ipsius.

est proprietas speciei; prout dicit radicem, ad quam sequitur illa aptitudo, transeat consequentia; & nego secundam consequentiam, quia illa radix convenit formaliter, & non virtualiter speciei: quamvis ab ea non habeat esse formaliter representativum, sed virtualiter tantum.

Confirmatur hoc: primum, quod potest competere speciei, est vel aptitudo ad determinandam potentiam, vel radix ad quam sequitur illa aptitudo: sed nec ab ipsa aptitudine, nec à radice habet esse formaliter representativum: ergo si primum quod competit speciei, sit esse representativum, non potest esse representativa formaliter.

62. *Obiicies secundo*, productio Verbi creati est generatio quædam vitalis; & Verbum, hoc est species expressa procedit, ut Filius, aliquo modo, hoc est secundum esse intentionale: ergo species impressa, qua mediante producit verbum illud, debet esse similitudo formalis obiecti. Probant consequentiam: quia id, quod procedit tanquam quid vitaliter genitum, & ut filius, debet esse simile suo principio, realiter quidem si procedat realiter, & in esse naturali, intentionaliter vero si procedat tantum intentionaliter: ergo cum species impressa sit principium verbi fecundans intellectum in ordine ad eius generationem, verbum, & species debent esse eiusdem naturæ intentionaliter: sed verbum est similitudo formalis expressa obiecti: ergo species debet esse similitudo formalis impressa eius.

Respondeo negando consequentiam, ad cuius probationem dico, quod illud, quod procedit ut Filius intentionalis, non debet esse simile formaliter omni suo principio, ut evidens est, quia sensatio non est similis potentia, quæ tamen est principium ipsius: debet ergo id esse simile suo principio principaliter determinatio, & hoc est ipsum obiectum, non vero species; neque enim species determinat, nisi quatenus supplet vicem obiecti. Quod si notitia genita non posset habere rationem verbi, aut filii intentionalis, nisi esset similis intellectui ut affectus est specie impressa, profecto prius deberet constare, quod species illa impressa esset similitudo formalis obiecti, quam posset constare, quod notitia genita esset verbum: unde reuera in hac probatione petitur principium, si bene res examinetur.

CONCLUSIO IV.

63. *Species impressa materialis est similitudo formalis obiecti*. Hæc deducitur ex *Scoto* in 2. d. 3. *quæst.* 9. ubi dicit quod si species Trinitatis esset Angelo ratio ut quæ videndi Trinitatem, posset etiam alteri videnti ipsam esse ratio videndi Trinitatem: nam hoc non esset verum nisi esset similitudo formalis obiectiva Trinitatis. Et *quodlibet* 14. expressè ait quod species intelligibilis impressa sit formale representativum obiecti. Sed est eadem ratio de specie impressa materiali, ac intelligibili. *Rursus* in 2. d. 1. *quæst.* 14. expressè ait species coloris videri instar coloris in pariete, ut quando per vitrum rubrum transit radius solaris usque ad mutum, & quando reflectitur à plantis viridibus idem radius. Conclusionem hanc sequuntur etiam *Complutenses* supra, & plures alij *Thomistæ* quos citant. Est autem contra *Conimbricenses* 2. de anima, cap. 7. q. 8. *Arriagani* *disp.* 4. *art.* 3. & alios.

Probari potest primo: quia sensus internus in absentia reali obiecti videt ipsum visione abstractiva, quæ visio terminatur ad aliquid, quod est simile obiecto absenti, non realiter, sed intentionaliter; sed illud non est aliud quam species istius obiecti: ergo species impressa obiecti est similis illi formaliter similitudine formali obiectiva.

Hæc probatio efficaciter convinceret Conclusionem, si visio illa abstractiva terminaretur ad aliquid, quod realiter existeret; quia certè aliud assignari non posset, aut deberet potius, quam species. Sed non est adeo certum quin visio realis, & intellectio abstractiva possit terminari ad aliquid non existens, ipsum representando: & licet hoc non posset fieri naturaliter absque specie, tamen posset dici quod illa species requireretur, non ad terminandam illam visionem, sed ad producendam ipsam

simul cum intellectu, aut potentia vidente, sicut requiritur ad producendam visionem intuitivam ocularem, quam sine dubio non terminat. Itaque ut valeat hæc probatio, ostendi debet visionem abstractivam non habere ex natura sua representare suum obiectum immediate, siue existat, siue non existat, seu facere ipsum intentionaliter præsens potentia cognoscenti, quæ intentionalis præsentia consisteret in hoc, quod perciperetur, aut cognosceretur: ad quod ostendendum mihi certè non occurrunt principia urgentia. Verum quidem est, si cognitio dicat respectum actualem attingentia actualis ad obiectum, ut existimant *Scotistæ*, inde securum quod obiectum deberet actualiter existere secundum aliquod esse reale. Sed hoc ipsum est æque difficile probatu, ac illud alterum, & de eo postea agam.

Probari solet secundo: quia in speculo videtur species obiecti ipsaque apparet tam similis obiecto, ut ipsum obiectum dicatur communiter in eo apparere: ergo species sensitiva est similitudo formalis obiectiva rei, cuius est species. Hæc probatio etiam convinceret Conclusionem si verum esset antecedens, circa quod est magna controuersia: nam non solum *Ramus*, *Auerſa*, *Arriaga*, & quotquot aduersantur Conclusioni, negant illud antecedens: sed *Scotus* ipse supra in 2. d. 13. *num.* 4. ait ipsam rem videri in speculo, non vero speciem eius, quod etiam docet in 4. d. 10. *quæst.* 9. ad finem ubi ait: *Et hæc est ratio quare non videtur in speculo imago ipsa corporis multiplicata usque ad speculum, sed ipsum corpus cuius est imago*. Vnde non solum non concedendum, sed impugnandum est illud antecedens, & consequenter reiicienda hæc probatio.

Itaque impugnatur primo à Rudio & Auerſa: quia obiectum adæquatum potentia visivæ est color & lux ac lumen: sed species colorum non est lux, nec lumen, nec color: ergo nequit videri ab oculo.

Hæc probatio minoris non placet, quia prius debet colligi quod species non possit videri; quam cognosci possit obiectum adæquatum visui comprehendere solum lumen, lucem & colores, & qui assereret speciem videri, tam facile negaret maiorem quam ab his authoribus asseritur, ut & negari debet à *Scotistis*, quia *Scotus* expressè asserit in 2. d. 13. *§. ex hoc patet, speciem coloris quandoque videri*: nec probari poterit ab aduersariis, nisi aliunde probauerint species non videri, quam ex hac probatione. Quod si vntur authoritate deducta ex communi modo loquendi, quo dicitur quod obiectum adæquatum visui sit color, lux & lumen, responderi potest, id intelligi de luce & colore comprehendente lumen & colorem non solum realem, & physicum, sed etiam intentionalem; vel certè communis ille modus loquendi corrigendus est.

Impugnatur secundo idem antecedens Cavellus, & Auerſa, quia, quod videtur apparet esse maius speculo, & in profunditate eius, sed species est minor speculo, & in superficie eius tantum: ergo non videtur species.

Hæc etiam probatio non sufficit, quia ex hac experientia non habetur aliud, quam quod species reflectens habeat talem naturam, ut ostendat speciem à qua sit reflexio cum illa magnitudine, & profunditate, non quod habeat talem magnitudinem, aut quod sit in illa profunditate. Et quemadmodum species representat obiectum quandoque minus quam in se est, quia talem habet naturam, cur etiam non posset representare aliquando obiectum maius quam in se est?

Impugnatur tertio illud antecedens Arriaga: quia si quod videtur in speculo esset species, non obiectum, illa species esset eiusdem rationis, & speciei cum obiecto, apparet enim ipsi valde similis quoad colores & figuram, ut patet experientia.

Hæc etiam probatio non placet, quia non sequeretur aliud quam quod esset eiusdem rationis intentionaliter, quantum ad representandum ipsum obiectivè, hoc autem non esset inconveniens secundum aduersarios.

66. *Idem Arriaga* impugnatur illud antecedens alio modo,

Species
impressa
est simili-
tudo for-
malis.

An species
videtur in
speculo.

do, quia si species viderentur, quandoquidem in qualibet parte speculi, aut obiecti, in quo viderentur species, sunt species omnium partium obiecti, deberent in qualibet parte videri species omnium partium obiecti, & non deberet potius in vna parte videri vna pars obiecti quam reliquæ partes: ergo non videtur species, sed obiectum.

Contra: quia hæc difficultas militat etiam contra visionem obiecti tam bene quam contra visionem speciei: nam si ex eo quod in qualibet parte speculi sit species cuiuslibet partis obiecti, deberet videri cuiuslibet partis obiecti species in qualibet parte speculi, modo species videri posset, similiter quandoquidem in qualibet parte speculi sit species representatiua cuiuslibet partis obiecti, deberet videri in qualibet parte quælibet pars obiecti.

Vidit Arriaga replicam, & respondet disparitatem esse, quod species representent obiectum secundum situm suum & dispositiones suarum partium, unde non debent videri partes omnes quasi penetratæ, sed extra se innicem, at si species ipsæ viderentur, deberent videri omnes quasi penetratæ in quacumque parte speculi.

Contra, quia sicut species ex eo quod representent partes obiecti, sicut sunt, non debent representare ipsas partes in eodem loco: ita etiam ex eo quod essent representationes obiecti, & formaliter similes illi similitudine intentionali, non debent videri in omni parte speculi confusæ, sed quasi essent extra se inuicem cum proportionem ad partes obiecti, & hinc etiam representant distantiam obiectorum inter se: per quod patet ad aliam probationem eiusdem.

67. *Melius ergo impugnat* antecedens, ut ante illud impugnauimus in commentario ad Scotum supra in 2. dist. 13, quia nihil impedit quo minus ipsum obiectum videatur, & præterea quantum ad sensum & experientiam omnino apparet ipsum videri. Nec potest dici quod ipsum quidem videatur, sed simul cum ipso species: quia nulla ratio aut experientia probat videri speciem, si videatur obiectum; aut obiectum, si videatur species, sed potius omnis experientia ostendit vnicum tantum obiectum videri, siue illud sit obiectum, siue species obiecti.

Sed dices cum aduersariis: obiectum in speculo apparet multo minus quam in se est, ac in diuerso situ, & figura: ergo non ipsummet videtur sed species eius.

Respondet negando consequentiam: sicut enim quando videtur obiectum directe, propter tamen diuersitatem mediæ aliquando videtur maius, aliquando minus, aliquando ut in se est, cum tamen tum secundum omnes ipsummet videatur, & non species eius: ita propter diuersam applicationem eius per speciem rectam & reflexam, oritur ut in alio situ, figura ac magnitudine videatur, quamuis ipsummet semper videatur.

68. *Dices secundo, secundum Doctorem 2. d. 13. n. 14.* species colorum & non ipsimet colores aliquando videntur, ut quando lumen reflectitur ad plantas virides, tunc enim in parietibus, ad quos fit reflexio, apparet color viridis, non quidem realis sed intentionalis: ergo etiam in speculo non ipsum obiectum reale, sed species eius videtur, eadem enim est ratio.

Respondet negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quod quando videntur species coloris non videntur per species reflexas, sed per directas, unde ipsamet videri debent, non vero obiectum: colligitur autem quod videantur per species directas, & non reflexas, quia non representant distantiam obiecti à loco in quo apparent, nec enim videntur intra illum locum, sed in ipsa superficie extima. Quod si quis bene rem perpenderit, videbit tantam differentiam inter modum quo apparent colores in speculo, & in pariete, ut non mirabitur, sed probabile valde iudicabit colores ipsos videri in speculo, species vero colorum in pariete, in casu prædictæ experientie ac similibus.

Et hinc probatur conclusio: videntur species colorum taliter ut appareant esse similes ipsis coloribus: ergo habent similitudinem formalem obiectiuam cum ipsis coloribus, non realem tamen, sed intentionalem. Consequenter videtur evidens. Antecedens probatur ex illis experientiis.

69. *Obicitur*: si species essent visibiles, deberent semper videri quoties proponeretur oculo, & sic videretur quod obiectum ipsum intuitiue videtur, contra experientiam.

Respondet ex Doctore, negando sequelam: non enim debent videri, nisi quando contingantur corpori opaco: neque enim habent virtutem producendi alias species, quibus ipsamet videantur, nisi quando applicantur tali corpori. Nec hæc doctrina debet mira videri aduersariis, quia ipsimet debent recurrere ad ipsam aut similem, quæ nobis etiam sufficeret, quando quæritur ab ipsis, cur color apparet in pariete, quando transit radius per virtum rubeum, & non apparet in aëre intermedio.

Ex hac probatione sequitur probabile esse, quod quando videtur obiectum abstractiue, tum terminetur cognitio immediate ad speciem impressam, quia si species possit cognosci & habeat similitudinem formalem obiectiuam cum re cuius est species, quandoquidem tum habeatur species, melius dicitur quod cognoscatur actu, quam quod nihil sit realiter existens, ad quod actu terminetur cognitio.

Sequitur secundo, non esse inconueniens quod detur aliqua species impressa Dei, per quam abstractiue videatur, quæ est sententia Scoti: quia si esset inconueniens quod daretur, maxime quia deberet esse similitudo formalis ipsius, sed non esset inconueniens quod esset similitudo formalis obiectiuæ ac intentionalis ipsius, modo non inde sequeretur quod deberet esse similitudo realis & physica ipsius: sed non deberet, ut patet ex speciebus colorum, quæ sunt similes obiectiue intentionaliter coloribus, cum tamen non sint similes illis realiter & physice. Et quemadmodum non repugnat cognitio creata intuitiua Dei, quæ est similitudo expressa ipsius, ita non repugnat species, quæ sit similitudo impressa ipsius. Sed de hoc in Theologia agendum erit.

70. Hæc autem omnia dicta in gratiam Daflori. Quantum autem ad proprium meum sensum attinet, exillimarem, vel in speculo etiam videri species obiecti immediate & non ipsum obiectum; vel si in speculo videatur obiectum, etiam in pariete videri colores & non species colorum. Et vniuersaliter loquendo, in utroque casu putarem species videri immediate & non obiectum, quia notabilissima prorsus est differentia inter visionem vitæque, illam scilicet, quæ habetur de obiecto immediate, & quæ habetur de ipso in speculo aut in pariete, ad quem extendit suas species; & illa varietas non videretur mihi posse provenire ab alio quam à diuersitate obiecti: non enim à medio, hoc est, aëre, suppono enim utrobique esse eiusdem rationis: nec enim à specie, quia etiam illa videtur esse eiusdem rationis, si representet obiectum immediate, & causetur immediate ab ipso, ut tenent autores huius opinionis præter Rurum: ergo à sola diuersitate obiecti oritur.

Confirmatur hoc: reflexio oritur à causa principali ex eo quod quicquid natum esset producere actione directa, quando impeditur, producat illud actione reflexa, ut communiter tenetur: sed illæ species, quas produceret actione directa, essent species eiusdem rationis, & natæ representare rem in suo situ, ac alio prorsus modo, quæ videtur in speculo: ergo etiam species reflexæ immediate procedentes ab obiecto deberent esse eiusdem rationis, & similiter ipsum representare.

Confirmatur secundo, quia difficile est percipere, si species illa reflexa immediate oritur ab obiecto, & est eiusdem rationis cum aliis speciebus, quomodo ostendat obiectum in speculo.

Dices speciem esse talis naturæ, ut ostendat obiectum in illo loco, à quo provenit ipsamet.

Contra: non provenit illa species à speculo, nisi quatenus procedit ab obiecto principali immediate, per quam producit ultimam partem speciei directæ, quæ produciatur vel in speculo, vel in parte aeris ipsi contingua: sed species non debet representare obiectum suum in parte ubi est species, postquam ipsamet produciatur, alias obiectum

Cognitio abstractiua terminatur ad speciem impressam.

Dari potest species impressa Dei.

etum principale visum visione directa videretur, prope oculum, aut saltem non videretur tam distans, quam aliquando videtur, sed videretur ubi est aliqua species postquam producit species, quæ est in oculo. Sed hæc propono examinanda magis quam amplectenda.

CONCLUSIO V.

71. Species sensibiles externa non solum sunt diuisibiles subiectiue, & in essendo, sed etiam obiectiue, & in representando.

Species sensibiles externa sunt diuisibiles & in essendo & in representando.

Hæc conclusio quoad primam partem est communis & probatur: quia est accidens materiale subiectatum aut in corpore, aut toto composito ex anima, & corpore, ut probabilius existimo: ergo constat pluribus partibus integralibus correspondentibus pluribus partibus istius corporis, aut totius in quo subiectatur, & consequenter est diuisibilis in se subiectiue & in essendo, seu entitatiue, nihil enim aliud per hoc volumus, quam quod constet pluribus partibus integralibus.

Secunda pars est *Canelli nostri* & *Rubij hic* contra *Auerfam*, & *Toletum*. Ut autem intelligatur controversia, aduertendum, speciem esse indiuisibilem in representando, nihil aliud esse, quam quod sit talis natura, ut quæcumque pars speciei, quæ representat totum obiectum, possit totum representare, non vero possit pars istius speciei partem obiecti representare & alia pars aliam partem, sed quod tota species secundum omnes suas partes representet indiuisibiliter totum obiectum & omnes partes eius: esse vero diuisibilem in representando, est esse talis naturæ, ut pars ipsius possit representare partem obiecti, & alia pars alteram, & hoc, totaliter, ut quæuis tolleretur una pars, altera pars adhuc partem sibi correspondentem posset representare. In hoc ergo sensu secunda pars Conclusionis.

72. Probatur primo: pars speciei nequit representare nisi partem obiecti, à qua producta est: sed totum obiectum quoad omnes partes suas non producit omnem partem speciei: ergo omnis pars speciei non potest representare totum obiectum. Maior patet, quia species est essentialiter determinata ad representandum solum illud obiectum, à quo producit. Probatur minor, quia nulla pars obiecti est, quæ adæquatè non potest producere speciem sui sine consortio alterius partis: ergo cum sit causa naturalis non libera, etiam quædo coniungitur cum alia parte, producit speciem sui adæquatè, & consequenter quæcūq; pars speciei totalis producta ab obiecto totali non debet produci ab omnibus partibus istius obiecti.

Confirmatur: quia per coniunctionem cum alia parte non perdit actiuitatem suam, ut manifestum est: ergo sicut produceret adæquatè speciem sibi correspondentem, si non coniungeretur cum alia parte, ita etiam quando coniungitur producit talem speciem.

Probatur secundo: quando videmus parietem palmarem totum, potest tegi pars ipsius manente specie alterius partis: ergo species totius parietis istius est diuisibilis in representando, tum enim est sic diuisibilis, quando secundum unam partem sui potest representare unam partem obiecti, & secundum aliam alteram. Qua ratione etiam probatur minor præcedentis probationis & maxime contra *Auerfam*: quia illa pars remanens tecta parte obiecti non causabatur à parte tecta, quia alias non potuisset manere ea tecta: ergo obiectum quoad omnes partes sui non concurrat ad productionem cuiuscumque partis speciei.

73. Obicitur: si species visibilis non esset indiuisibilis in representando totum obiectum non posset videri ex quacumque parte medij, sed in una parte eius videretur una pars obiecti, & in alia altera contra experientiam.

Confirmatur: quia per quamlibet partem speciei totalis, quæ producit à toto obiecto in toto medio, videtur totum obiectum: ergo qualibet pars ipsius causatur à toto obiecto.

Respondeo negando sequelam, obiectum enim secundum omnem partem sui per totum medium intra sphaeram actiuitatis suæ producit quæcumque partem speciem representatiuam sui secundum se totum & omnes suas

partes: & hinc fit ut in qualibet parte medij possit totaliter videri: nec hoc debet videri mirum aduersariis, nam sicut secundum ipsos potest qualibet pars obiecti concurrere ad producendam in qualibet parte medij unam speciem totalē indiuisibiliter representatiuam istarum partium; cur similiter non posset qualibet pars ipsius concurrere ad producendam in qualibet parte medij speciem partialem sibi tantum correspondentem.

Ad confirmationem respondeo distinguendo antecedens: per quamlibet partem totalem, concedo, per quamlibet partem partialem inclusam in parte totali, nego antecedens & consequentiam. Per partem autem totalem intelligo aggregatum ex omnibus speciebus partialibus productis ab omnibus partibus obiecti in qualibet parte medij, quod aggregatum vocatur pars in comparatione ad omnia similia aggregata, quæ sunt in toto illo medio: per partem autem partialem intelligo partem correspondentem uni tantum parti obiecti, & inclusam in aggregato correspondente toti obiecto. Neque est absurdum quod tot partes recipiantur in qualibet minima parte medij, & in pupilla oculi, quæ est tam parua, quia non sunt impenetrabiles nisi ratione quantitatis subiecti, sicut nec albedo & dulcedo, nec etiam sunt omnino eiusdem rationis, quia una pars est determinata essentialiter ad representandam partem obiecti, quam altera representare non potest.

74. Dices: istæ plures partes vel facerent in eodem subiecto intensionem, vel extensionem, non intensionem, quia ordinantur ad diuersos effectus, & quia visio producibilis per omnes illas partes non est nisi extensiuè perfectior, quam quæ producibilis est per unam partem: non extensiuè, quia non sunt extra se inuicem.

Respondeo primo negando maiorem, quemadmodum enim albedo & dulcedo in eodem subiecto non faciunt intensionem, & extensionem, ita etiam de illis speciebus posset dici.

Respondeo secundo negando minorem pro secunda parte, quia quemadmodum uniones partiales petentes existere in eodem indiuisibili subiecto, id est, anima rationali, faciunt extensionem eo quod ordinantur ad coniungendam animam cum pluribus partibus corporis extra se inuicem positæ, ita etiam istæ partes speciei, licet non recipiantur in eodem subiecto, possunt facere extensionem, eo quod ordinantur ad representandas diuersas partes obiecti extra se inuicem positas.

CONCLUSIO VI.

Species impressæ possunt esse diuisibiles intensiuè secundum plures gradus intensionis. Est *Rubij supra* q. 9.

Species impressæ possunt esse diuisibiles intensiuè.

Probatur: quia albedo intensiua ut unum, est causa naturaliter productiua speciei representantis ipsam secundum illam rationem: ergo & albedo ut duo: sed hoc non posset fieri, nisi species albedinis, ut duo haberet intensionem: ergo.

Confirmatur: distantes ab obiecto valde albo non vident illud tam perfectè quam cum sunt propinquiore: ergo species, quas habent cum sunt propinquiore sunt intensiores.

QUESTIO VIII.

De causis specierum materialium.

75. Non est difficultas de causa materiali, nam ea est subiectum in quo inhaerent, inhaerent autem in variis subiectis, ut in aëre, aqua, speculo: & si loquamur de subiecto illius speciei quæ immediatè concurrat ad sensationem, illud erit ipsum subiectum in quo recipitur sensatio, tam enim capax erit speciei impressæ quæ sensationis, & quandoquidem producat in se sensationem mediante specie, magis congruum videtur ponere illam speciem in illo quam in vilo alio subiecto. Quæritur ergo de causa efficienti.

CONCLUSIO I.

Solum illud obiectum quod mediante specie impressa externa percipitur, causat illam speciem, & quidem immediatè. Hæc colligitur ex *Scoto* in 2. d. 13. quem præter suos sequuntur *Conimbricenses*, & *Auerfa*. Est autem contra *Rubium hic* quæst. 10. quatenus asserit speciem, per quam videtur.

Obiectum percipitur est causa efficiens speciei sensibilis exterioris.